



**Programma Decani, Senioris, Coeterorumq[ue] Doctorum Collegii Theologici In  
Universitate Rostochiensi. Super Funere Collegae sui desideratissimi ... Viri Dn.  
Danielis Michaelis, SS. Theolog. Doctoris, in alma Rosarum Professoris bene  
meriti, pie defuncti. Propositum publice Die XXIX. Decembris, Anno 1652. sub  
Sigillo Facultatis eiusdem**

Rostochii: Kilius, 1652

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756286719>

Druck Freier  Zugang






Uiac  
orum  
regium.

Vol. 241. (3.) <SON>





40 34  
PROGRAMMA  
DECANI, SENIORIS,  
COETERORUMQ. DOCTO-  
RUM COLLEGII THEO-  
LOGICI

In Universitate Rostochiensis.


*Super Funere*  
Collegæ sui desideratissimi,  
*Admodum Reverendi, Clarissimi & Excellen-*  
*tissimi VIRI*

DN. DANIELIS  
MICHAELIS,

SS. Theolog. Doctoris, in  
almâ Rosarum Professoris benè  
meriti, piè defuncti.

*Proposicium publicè*

Die XXIX. Decembris, Anno 1652.  
*(sub Sigillo Facultatis ejusdem.*



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

ANNO M. DC. LII.



Unus hodiernum Theologi,  
occasionem dedit meditandi EX-  
EMPLAR Theologi, Dominum no-  
strum JESUM CHRISTUM. Erant huic  
Natales, secundum carnem, ex sangui-  
ne regio. Sed quò minus ab istis vel aliquo modo de  
more præsentis seculi celebraretur, non parenti-  
bus cognatisvè ejus, non Patriæ, non Natalitiis,  
non generi vitæ, ullus splendor, nedum regalis, Dei  
consilio, esse debuit. Ipse verò tantum aberat, ut  
ex dignitate majorum laudem aliquandò captaret,  
ut natas ex genio mundi commendationes omnes,  
corde humilis despiceret. Ad solam autoritatem  
Dei patris, eamq; inconspicuum, provocabat iden-  
tidem. Nempè, in generatione divinâ invisibili, non  
Natalium splendore, Theologi boni gloriam con-  
sistere volebat. Puerum esset, hoc agebat, ut &  
in iis esset, quæ erant cælestis Patris sui, & in terrâ  
Parentibus, quos habebat, subditus pareret; nihil  
omniò moratus, quod vinceret nò hos modò, sed  
Doctores populi sui, sapientiâ. Nempè, Theologi  
laus est, novisse à puero Sacras Literas, indices vo-  
luntatis Dei, & ex his *audierat* didicisse, ad obsequen-  
dum superioribus, in simplicitate mentis, ipsam  
subjectionem eminentiæ præferentis. Theologiam  
quam erat enarraturus, hanc audiverat à Deo, ut  
filius, recumbens proximè ad pectus Patris, & ori  
ejus

293  
constanter adhærescens, unctus maximè Spiritu S.  
Nempè, oportet Doctorem Theologiæ esse <sup>θεωδιδάκτωρ,</sup>  
virtute Chrismatis à Deo dati. Non fingebat ille sibi  
dogmata, nec aliorum arbitrio conficta sectabatur,  
Solam legem Dei observabat, scriptam in corde suo.  
Discipulos quoq; quos elegerat, Luminaria mun-  
di, non ad commenta vanæ sapientiæ, non opinio-  
nes <sup>παρρησιασθέντες,</sup>, non rationis cæcæ paludes, sed ad  
fontes Israelis, Testimonia Mosis & Prophetarum  
penitus ablegabat. Nempè, debet studiosus Theolo-  
giæ totus esse in scrutinio & meditatione Verbi Dei.  
Ad officium accedebat Dominus noster, nō nisi mis-  
sus, vocatus, introductus à Deo. Nihil hîc arrogare  
sibi brachiumulare, nihil favores hominum po-  
terant. Nempè, suscipiendum munus docendi non  
extrà vocationem. Et hæc non emendicanda ab ho-  
mine sive clam sive palam, sed à manu Dei acce-  
ptanda: Beati Doctores, quibus, cum externi or-  
dinis causâ, manus hominis corruptibilitiarâ caput  
exornat; ipsa Dextra Dei invisibili Charismate Spi-  
ritus S. animam coronaverit. Docturus Propheta  
Magnus, Dei Verbum, & ad docendum illud disci-  
pulos ablegaturus, transigebat noctes precibus. O-  
randum nempè Theologo, pulsandumq; cor Patris  
cœlestis, ne homo loquatur é Cathedrâ vel sugge-  
stu, sed per hominem Deus, Nō deerat Magistro no-  
stro tentator Diabolus; sed, hunc dum ipse pellit  
gladio Spiritus, simul discipulis suis amorem noti-



tiamq; sacrarum Literarum, non mortuam sed vi-  
vam, è nucleo, non è corticibus, perendam com-  
mendat. Ità victores robore Dei per Christum, in-  
conflictibus cum Diabolo, non est deinceps, quod  
de victoriâ in cæteris, armati verbo Domini, despe-  
rent. A fastu aberat longissimè Dominus & Do-  
ctor noster: Neq; enim *πρωτοκλισίαν* aliquam in con-  
viviis, *πρωτοκαθεδρίαν* in synagogis; in terrâ primatum  
ullum affectabat, qui inter suos versabatur prorsus,  
ut minister. Nullam ille captabat ex dictis factisq;  
divinis laudem apud homines, qui, quò minus in-  
clarefceret mundi more, divulgari etiam miracula  
prohibebat; separatus ab iis, quorum operibus, con-  
cionibus, scriptis, & quod abominandum, Theo-  
logicis, non alius prætitutus scopus est, quàm famæ  
perituræ celebritas. Ille verò non suam, sed patris  
sui gloriam tantum quærebat. Opes sibi ex cœlesti  
officio non parabat terrenas, qui, cum esset cœli ter-  
ræq; Dominus, non invenit in terrâ tantillum pro-  
prij, quo reclinaret caput suum. Nempè, Christiani,  
ne dicam Theologi est, ità habere, si quid habet, qua-  
si nihil habeat rerum secularium. Respuebat ille  
laucitias, pulpamenta, deliciasq; ex elcâ & potu, cui  
cibus erat, isq; invisibilis & incorruptibilis, ut vo-  
luntatem faceret patris cœlestis. Contristare hunc,  
non oblectare, mundus poterat, cujus amor & desi-  
derium solus Deus erat. Hominum saluti postpo-  
nebat sui ipsius curam, defatigatus tantoperè labo-  
ribus


294  
ribus officii, ut aliquandò mente motum eum iri,  
carnalis simplicitas judicaret. Principium doctri-  
næ suæ, non Traditiones patrum, non hominum ra-  
tiocinia, sed Scripturam Mosis & Prophetarum  
unicè statuerat. Occasionem legendi Biblia non  
modò non negligebat, sed & quærebat ille, in quo  
absconditi omnes thesauri sapientiæ & cognitionis.  
In Synagogâ Nazarethana, libro Jesaiæ Prophetæ  
porrecto, locum, quem ibi invenerat, lectum expli-  
cabat. Parabolico, eoque simpliciore & ad usum com-  
munem accommodato sermonis genere, quo sum-  
ma mysteria regni Dei exposuit, persuasoria huma-  
næ sapientiæ verba pudefecit. Ipse  $\rho\omega\sigma$ , (ipsa Dei  
sapientia,) ut doceret populum, tanquam pote-  
statem habens, non ut Legisperiti docebant; nemi-  
nem tamen præ se contempsit: Imò voces Scri-  
barum & Phariseorum, in Cathedrâ Mosis sedenti-  
um; hoc est, Verbum Dei publicâ auctoritate officii  
Ecclesiastici proponentium, audiri jussit, illorum  
inquam, quibus aliàs Væ dixit aliquoties, ut hypo-  
critis corde & opere, omninò fugiendis. Nunquam  
auditæ sunt ex ore filii Dei voces rixantis, litigan-  
tis, clamitantis; Quin contententes invicem secun-  
dum carnem, ipse ad pacem composuit. Pacis præ-  
co, non solum doctrina ipsius tota, sed & vita est.  
Adeò remotus est Dominus & Salvator noster, prin-  
ceps pacis, à genio rixosi & contentiosi seculi præ-  
sentis. Lenitatem & mansuetudinem probavit.

omnibus, amicis pariter & inimicis. Hâc sustinuit  
infirmi-  
tatem imbecillium; Neq; enim placere sibi  
ipsi poterat, assumpturus omnes in gloriam Dei.  
Hâc hostes veritatis patienter toleravit, ususq; in  
hos elencho divino, non confusionem illorum, si-  
quidem corrigibiles essent, sed emendationem sin-  
gulorum quæ sivit; Interim veritatem Dei, intrepidè  
ubivis & ἁπεραπλήτως profiteri nequaquam veri-  
tus. Quicquid ore docuit, exemplo factisq; expref-  
sit. Bellum verò movebat doctrinâ pariter & vitâ,  
carni, mundo, potestati tenebrarum. Hinc parata  
ipsi, odiorum, obrectationum, persecutionum se-  
ges amplissima. Nempè, è censu beatitudinis & nu-  
mero servorum filiorumq; Dei, ipse exemit eos, qui-  
bus benè dicant omnes homines: Indicium hoc est,  
illos esse hypocritas, quærentes quod mundi, non  
quod Dei est. Veritatis causâ, non recusavit Caput  
nostrum pati opprobria, plagas, crucem, mortem  
ipsam, nec propterea ab amore tum Dei tum ho-  
minum, etiam inimicorum, quicquam remisit.  
Eventum spectabat passionis optatissimum, & hunc  
obtinuit, in prele spirituali numerosâ, vivitq; nunc  
coronatus gloriâ & honore apud Deum inastima-  
bili. Sed quid dicemus? Sissimus EXEMPLAR  
Theologi sine exemplo. Neq; enim in peccatores  
cadit, quicquid est perfectionis in eo, qui & ἀγαπά-  
πτῶς est, & simul Deus est. Illud probè edocti,  
fundamentum ponim9 per fidem, in solâ sanctitate  
& in-

215  
& innocentia Christi mediatoris meritoria, eoq; posito,  
vestigia doctrinae & vitae ejus, ut capitis nostri, non antever-  
tere, sed sequi amamus. Hæc verò non posse nos sequi, quot-  
quot regeniti sumus, contumeliosum est in virtutem Spiritus  
Sancti, habitantis in nobis. Non debere sequi, quot-  
quot Christianorum, imò Studiosorum Doctorum vè Theo-  
logiae divinae, nomen & officium explere cupimus, adver-  
sum est voluntati vocantis nos Dei, finemq; vocationis  
sanctae planissime evertit. Utrumq; in ipsum Christum RE-  
DEMPTOREM pariter & EXEMPLAR THEOLOGICI,  
injurium est. Ad te nos vertimus, Collega quondam conjun-  
ctissime, nunc desideratissime. D. DANIEL MICHAEL,  
Theologe eruditionis præcellentis. Habuisti quidem, de  
quibus gloriari in hoc seculo secundum carnem potuisses.  
Sed ista nunc ut *κύβαλα*, ex throno Christi, anima tua tota  
despicit. Eo solo gaudes & æternum gaudebis, quod fidu-  
cia in Christum fixa, secutus sis in infirmitate vestigia ejus,  
quodq; ab hujus manu coronam justitiæ, in cœlo repositam,  
acceperis. Natus es Gustavo Anno 1621. die 8. Novembr.  
Patre Dn. M. DANIELE MICHAELE, quondam Ec-  
clesiarum Diœcesis Gustavoviensis Superintendente & Du-  
calis Consistorii Ecclesiastici Assessore, Theologo pietatis  
& eruditionis eximie. Matre, ANNA Schirmeisters/ Fœ-  
mina Lectissima, JOHANNIS SCHIRMEISTERI, Ci-  
vis Gustavoviensis & MARGARETÆ Schützen/ filia: Na-  
tus ex carne, renatus es ex Deo per miserationes divinas in  
Baptismate: Et hoc ipsum beatitudinis tuæ principium fuit.  
Accesit ad id educatio Parentum provida. Anno 1638. tra-  
ditus scholæ Wismariensi, linguarum & polioris Lite-  
raturæ studia ibidem excoluisti. Rectore M. JEREMIA  
NIGRINO. Hinc domum revocatus, informatorem ha-  
buit Parentem tuum, usq; dum ipse te (factum id Anno  
1640.) ad hanc Universitatem ablegaret, in qua præter stu-  
dia Philosophica laboresq; sacros alios, Disputationem  
Theo-

Theologicam, quam ipse conscripseras, de Naturâ verbi Dei  
revelati, sub præsidio Hospitis tui Dn. D. JOHANNIS  
COTHMANNI, p.m. eruditè defendisti. Exacto biennio  
Regiomontum adiisti, ibiq; Magister creatus, disputâsti de  
Loco arduo Jesa IX. vers. 6, 7. contra Judæos & Ju-  
daizantes. Reverfus ad nos, disputationem habuisti Philo-  
logicam super initio Danielis Prophetæ. Post ad Gryphi-  
swaldensem Pomeranorum, inde ad Hafniensem Danorum  
Academiam perrexisti. Ex Daniâ trajecisti in Bataviam,  
commoratus aliquandiu Leidæ, studio excolendi ibidem  
literas cum primis Arabicas. Indè reliquas Batavorum A-  
cademias & urbes præcipuas lustrâsti. Redux à peregrina-  
tione, cooptatus es in numerum Professorum Theologiæ.  
Anno 1649. auctoritate Illustrissimi Principis ac Dn. Dn.  
ADOLPHI FRIDERICI, Ducis Meckelnburg. Domi-  
ni nostri clementissimi. Ipsum Professionis munus, juxtâ  
cum insignibus Doctoralibus, quæ collata accepisti Anno  
1650. die 14. Maji (quo ipso nuptias quoq; celebrâsti) habi-  
tâ in antecessum eruditâ Disputatione Inaugurali de Perso-  
nâ Christi, ex loco Coloss. II. 9. tam publicis Læctionibus  
in Leviticum, quam exquisitis Disputationibus adversus  
Calvinianos, alijsq; id generis exercitationibus, non sinè  
dispendio valetudinis tuæ, probè exornâsti. Conjugium  
contraxisti cum Fœmina ornatisimâ AGNETA Egge-  
brechts/ Dn. NICOLAI GEISMERI, quondam Senato-  
ris apud nos viduâ, quam juxta cum Patruo Dn. ANDREA  
MICHAËLE, Ecclesiæ Malchinentis Pastore, & Avun-  
culo JOHANNË Schirmeistern/ Cive Gustavoïensi su-  
perstites reliquisti. De cœtero totus eras in studiis & lu-  
cem fœneraturus alijs, consumebaris ipse. Pie tandem placi-  
deq; passus antè Cœnâ Dominicâ, obiisti, die 22. Decembris horâ X. matu-  
tinâ anno ætat. 31. Præmaturæ huic emigrationi adjumento fuit febris ca-  
tharrhosa. Nos sicut dolemus ereptum collegio nostro insigne eruditionis  
*μαθητων*, ita tibi cœlestis paradisi gaudia merito gratulamur, servaturi  
honorificam tui memoriam. Nobis verò & omnibus Christum diligenti-  
bus precamur à Deo dimissionem in pace, per eum, qui Salvator  
nobis natus, Vita mortuus est.














the scale towards document

ges ac Principes sæpè attoniti audivere: Sua-  
minentis vim, non secus ac Demosthenici  
petum imperij Proceres sæpè sensere. De  
non tantum privati, sed & publici partibus,  
inis forma, de religionis purioris vindicijs,  
ibus rectè instituendis, litium prolaxis telis  
ad publicam salutem conservandam necessa-  
ovellorum nostri ævi, novas Utopias somni-  
lut alter Sulpitius, studio, usu, experienciâ, &  
sed & archivis actisq; publicis haustâ scientiâ  
planè lepore differebat. Deniq; Encomio Lucij  
storû disertissimû & oratorû jurisperitissimû  
t. Accedebat naturalis cum decenti venustate  
ta gravitas, in divino cultu pietas, in homini-  
s, in negocijs expediendis dexteritas, in adver-  
peris continentia, in fortunæ instabilitate  
quâ bonæ conscientiæ scuto munitâ, omnes  
umniarum, invidiæ & livoris ictus ac morsus  
repulit. Aulicis negocijs gravibusq; causis  
& occupatissimus fuerit, semper tamen  
in respexit, ejus ut quondam alumnus, ita  
as defensor, imò & excultor perpetuus fuit.  
oz. viro consultissimo Joanne Albino, pandectarum Pro-  
bente, eidem in officio susceptus & in collegium Juridici  
us fuerit; præstitit se quoq; in hac vitæ statione fidum  
siones crebræ, publicæ curæ & molestiæ, eum aulicos &  
iri & Labeonis J. C. i exemplum annum quasi cum labori-  
quibus tamen cum sensum nimis irretiri & aulæ astringi  
caria viri consultissimi Christiani Obmichij J. D. exitij,  
demicum sibi creditam, luculenter fœneravit. Virtuti-  
n adversus affectuum motus, & adversitatum impetus  
mavit, seq; invictum reddidit: ast à morbis corporis se-  
otius quò animo fortior, eò semper fait corpore debiliore:  
um in itinere quodam officij ratione suscepto, correptus  
ti initio typum tertianæ simplicis gessit, ita non multò  
sentavit, & in ædis inducijs indultis, majori paulò post  
suans, incrementum sumpsit, in quartanam degenerans,  
Accesserunt lienis & mesaræi obstructions, & quart-  
ples scorbutus, perennis itidem à capite ad fauces & pul-  
alcens indelinens tussis, cujus vehementia, venula pul-  
monum